

2º Testimonium humanum auctoritate ad fidem faciens
dam non semper pollet, nam homo potest decipi et deci-
pere;

205. — Testimonium dogmaticum *per se* nunquam aut
fere nunquam firmam fidem gignere valet, licet esse possit
motivum sufficiens ad assensum prudenter adhibendum.

1º Si agitur de homine apprimè versato in aliqua disci-
plina, et ceteroquin probitate noto, ejus testimonium,
licet non infallibile, est tamen gravis ponderis.

2º Si ageretur de pluribus scientia et probitate conspi-
cuis, qui idem ferunt testimonium, istud erit tantò proba-
bilius.

3º Tandem si in aliquam sententiam periti omnes uni-
formiter convenient, eorum testimonium habetur maxima
auctoritate.

Vерутамен illud etiam testimonium, saltem in qua-
cumque materia, non est infallibile, ut constat v. g. ex
errore communi de motu solis circa terram, et telluris
immobilitate in centro mundi, etc.

Diximus in quacunque materia, nam quoad veritates
obvias, illud testimonium omnimodam fidem gignere
posset.

206. — Sed testimonium historicum præsertim consi-
derare debemus, utpote strictius constitutum illum fontem
veritatis diversum ab aliis tribus quos perpendimus. Illud
testimonialium aliquando certitudinem propriæ dictam gignit,
aliquando meram probabilitatem.

In sequentibus thesibus agemus 1º de auctoritate non
plena, 2º de auctoritate plena.

207. — THESIS I. *Testimonium humanum, etiamsi non
plena habeat auctoritatem, in vita usura est prudens
norma agendi et judicandi.*

Probatur. Illud 1º quod plerumque non fallit, et 2º est
omnino necessarium homini, haberi debet tanquam norma
in vita usura. Atqui hujusmodi est auctoritas etiam non
plena. Ergo haec auctoritas tanquam norma in ordinariis
vite operationibus haberi debet.

Probatur minor quoad 1. partem. 1º Auctoritatem plerumque non fallere, constat experientia et ratione. Etenim

1º experientia propria sepenumerò comprobans veri-
tatem rei narratae. 2º Ratio docet hominem natura sua
inclinari ad veritatem testandam, ac proinde non mentiri
sine motivo. Porro illud motivum mentiendi gratuitò
supponi nequit in homine frugi et constanti, in quo est
probitas *ordinaria*: neque etiam potest supponi in quo-
libet homine qui damnum, aut saltē nullum commodum,
ex mendacio retraheret, ut generatim contingit; in ipso
enim est probitas veluti *coacta*. Ergo auctoritas sepenu-
merò non fallit, ac proinde in rebus vite ordinariis testes
generatim habent veritatem.

2º *Pars minoris* fuit ante probata (202-203).

Igitur generatim concludimus fidem auctoritati humanæ,
etiamsi non semper omnem suspicionem erroris et decep-
tionis removet, esse tamen normam prudentem in judi-
cando et agendo. Est enim *regula perfectior* que haberi
possit in hisce adjunctis, in quibus tamen nemo a judicando
et agendo prorsus colubri potest.

208. — THESIS II. *Testimonium historicum, in quibusdam
adjectis, omnem formidinem erroris excludit et gignit
certitudinem propriæ dictam.*

Probatur. Ut testimonium plenam jure fidem sibi vindici-
cat, requirit ut constet 1º de scientia certa, et 2º de veri-
tate ex parte testimoniū. Atqui aliquando ex adjunctione certissima
constat de utroque. Ergo... Major per se constat,
nam factum cognoscitur a nobis ut contigit, 1º quando
testes non decipiuntur in cognitione hujus facti, seu illud
cognoscunt sicuti reapsè evenit; atque 2º quando nullum
est mendacium in testificatione. Dummodo constet de
scientia et veritate testimoniū, constat etiam de facto
narrato.

Minor duabus partibus coalescit quas ordine adstrue-
mus.

Prob. 1º pars minoris, scilicet de scientia testimoniū cons-
tare posse.

Etenim agitur de facto sensibili. Atqui ut constet de
scientia testimoniū respectu ejusmodi facti, sufficit ut certò
sciamus 1º sensus eorum fuisse rectè dispositos et 2º con-
venienter adhibitos.

Jamverò 1º si testes sunt multi, impossibile est ut sensus omnium in eodem vicio simul deprehendantur. Praeterea, si ageretur de facto quod percipi posset etiam a iis qui habent sensum aliquo vicio infectos, v. gr., de existenti alienus civitatis, multò minus esset periculum erroris.

2º Dubitare etiam non possumus quin sensus diligenter adhibeantur, si agitur de facto publico et illustri quod fragosè spargatur, et vividè feriat animos contentuum.

Insuper si inter testes essent homines prudentia et solertia prestantes, qui ad rem inquirendam gravissimis motivis incitarentur, magis removeretur periculum deceptionis.

Igitur in hisce adjunctis impossible est ut sensus non sint sufficienter dispositi et convenienter adhibiti ad scientiam facti acquirendam: v. gr., si quis dubitaret de existentia Romæ vel Londini ex eo quod testes, qui factum narrant, possunt decipi, illa ut insipiens meritò haberetur. Hinc aliquando circumstantiae sunt tales, ut omnem formidinem deceptionis in testibus plenè removeant.

Prob. 2a pars minoris, scilicet aliquando certè constare posse de *testium veriloquio*. Etenim si testes 1º sunt multi, state, natione, ingenio, studiis, moribus, etc., diversi, et tamen 2º eorum testimonium sit constans et uniforme, istud tangquam verum haberi debet. Ut esset deceptio in testimonio, requireretur consensus omnium testimoniū in aliquo uniformi mendacio. Atqui in hisce adjunctis uniformitas in mentiendo est naturaliter impossibilis, si quidem

1º Homo non potest ut mendax haberi, quin saltem sit pro illo aliqua utilitas in mentiendo: nemo gratis est malus. Jamverò in hac multitudine testimoniū, impossibile est ut testes *eadem cupiditate* moveantur in mentiendo; nam ex hypothesi nonnulli, non emolumentum, sed dampnum ex mendacio retraherent.

2º Praeterea *cordicia* esset etiam impossibilis, quia inter testes nonnulli certò inventarentur qui impudenter mentiri noluisserint, aut saltem constanter et uniformiter mentiri non potuerint.

Ergo 1º omnes testes non potuerunt in idem mendacium

convenire eodem bono illecti, et 2º, etiamsi pactum illud subaudiretur, non potuerint ita concorditer testificari ut nemo audiendum fraudem detegere valeat.

Ergo testimonium historicum aliquando ita evadit certum ut fidem plenam faciat.

209. — Aliquando testes pauci sufficiunt ad plenam fidem faciendam, quando scilicet factum enarrant coram iis qui 1º aliiud illud factum cognoscere possunt, 2º de tali facto aliquid timerent, 3º penitus et tormentis mendaces compellere valent.

In hac enim hypothesi indubiā constat de veriloquio; nam 1º nulla spes alios decipiendi testes manet, qui 2º tutò mentiri nequeunt, et exinde nulla cupiditate adduci potuerunt ad contumaciter mentendum. In hisce adjunctis constat de veracitate.

De scientia certa ceteroquin constare potest ex natura facti: si agitur, v. g., de occisione aliquius hominis, de combustionē aliquius civitatis, etc.

210. — *Scholiam.* Illud testimonium gignit certitudinem moralēm (170), qua in moribus hominum nititur; nam veritas testimonii illius fundatur in constantia legum moralium; hocè physiè possibile sit ut homines in hisce adjunctis aliter operentur, est tamen *moraliter* impossibile ut aliter agant.

Leges illae morales quibus fulcitur testimonium historicum, sunt sequentes:

1º Lex. *Homo naturaliter verum appetit*, et hec lex respectivam scientiam. Itaque quando veri inquisitio non est laboriosa, nec ejus apprehensio incommoda, homo illud amplectetur.

IIº Lex. *Homo non nisi amore boni (sive realis sive præsumpti) ad operandum et appendendum impellitur*. Unde non mentitur sine causa, id est, sine aliqua utilitate in mendacio quiescit.

Hinc ut testimonium sit falsum, requiritur ut sit obex quo impeditatio cognitionis, vel ut sit aliiquid bonum mendacio obtinendum.

211. — *De testimonio totius generis humani.* — *De sensu naturæ communi.* Haecnū consideravimus testimonium quorundam testimoniū, quod non modò est peculiare

medium cognoscendi, verum etiam in superius determinatis adjunctis (208) constitutum criterium externum veritatis. Addie hic quod potest etiam considerari testimonium omnium hominum, qui aliquando in unam convenient sententiam, sive circa factum quoddam elapsum, sive circa veritatem aliquam. Omisso nunc testimonio primi generis non non distinguatur a traditione, considerare oportet testimonium generis humani quando est dogmaticum: hoc proprie dicunt *consensus communis*. Circa hunc consensum communem queri potest utrum semper et in omnibus infallibiliter sibi vindicet auctoritatem.

212. — *THESIS III. Consensus communis non semper et in omnibus est auctoritas infallibilis.*

Constat ex facto. Nam plures sunt errores ad ordinem dogmaticum pertinentes quos perdidit omnes homines profecti sunt: v. g. motus solis circa terram; omen infastum cometarum, etc. Ergo...

Sch. Verum hi errores ut tales non sunt iudicia communia proprie dicta: homines stricte non consentiunt in *id affirmandum*, quod reipose est erroneum, sed in aliquid complexum quod involvit aliquam falsitatem.

213. — *THEISIS IV. Iudicia verè communia que a sensu communi dīmanant, nequeunt esse falsa.*

Nota. Hie agitur, non de aliquo dogmate acutio et merè speculativo, vel de iudicio communis cupiditatibus facienti, quale fuit, v. g. error polytheismi, sed de hisce iudicis practicis que gaudent universalitate, diuturnitate, constantia, quibus nulla causa particularis assignari potest; secus alter dicendum esset.

Probatur. Hec iudicia a natura rationali proficieantur prout ipsa, non in uno individuo, sed in tota humilitate, sensu explicat. Atqui natura rationalis, prout est in omnibus, fallax esse nequit. Ergo haec iudicia falsa esse nequeant.

Probatur major, nempe *haec iudicia a natura ipsa ortum derizare.*

Hec iudicia que ab omnibus hominibus proferuntur, sunt universalis, permanens, uniformis effectus ordinis

naturalis. Atqui nulla causa sufficiens hujus effectus potest inveniri, nisi in natura, que est constans, uniformis et eadem in omnibus. Ergo...

Minor est certa, et preterea abundè constat ex antea dictis de necessaria rectitudine naturæ et facultatum (179, 180, etc.)

214. — Vis qua natura rationalis efformat haec iudicia, dicitur *sensus naturæ communis*, qui non est facultas cœca et instinctiva, diversa ab intellectu et ratione, ut volunt Reid et eclectici, sed est ipsa intelligentia prout sine artis presilio, generatim et sponte sese evolvit, non in uno tantum individuo, sed in ipsa humilitate.

215. — Quedam tamen iudicia communia a primitiva traditione repeti possunt, qua multæ veritates altiores omnibus populis, utcumque rudibus, aliquo modo innotescuntur.

§ II. De testimonio mediato seu de historia et traditione.

216. — Hucusque consideravimus testes immediatos. Nunc de testibus mediatis speciatim agendum est, quibus testimonium aliquod ad disjunctos intervallo locorum et temporum homines deferuntur. Haec translatio fieri potest, sive 1º per *traditionem*, nempe per aliquam testimoniū mediatorum seriem ore rem transmittentium, sive 2º per narrationem factorum scriptis commendatam, nempe per *historiam*.

I. De traditione.

217. — *Traditio*, que, juxta vim vocabuli, significat transmissionem veluti de mano in manum, sumi potest in sensu objectiveo, nempe pro re ipsa tradita, vel subjective, in hoc ultimo sensu traditio definiri potest: *testium continuata successio memoriarum facti non scriptis, sed ore transmittentium*. Traditio indubiam parere potest fidem, si omnes habeant illas conditions que requiruntur ad testimoniū humanum, ut omnino certum et omni exceptione maius evadat.

Quando ex circumstantiis constat testes non fuisse *deceptos* neque *deceptorē*, narratio facti incolumis ad nos pervenit.

218. — Ut traditio haberi possit tanquam fons cognitionis certe quasdam sibi vindicare debet conditions quae omnem formidinem erroris removeant :

1. Ex parte traditionis ipsius requiritur ut sit ampla, uniformis et constans.

1^o *Ampla*. Ampla erit si pluribus semper testibus coauerit qui communie mendacium pacisci non potuerunt. Porro si est diversitas, imo oppositio inter testes, si nullum commercium inter se habuerunt, fidele inter se certum non adstringuntur ut uniformiter mentiantur. Præterea ex amplitudine traditionis constabit etiam de veritate cognitionis quam testes habent de facto; impossibile enim est ut multi testes eodem modo mutentur, aut pravè audiant narrationem testimoniū oculorum.

2^o *Uniformis*. Uniformitas, saltem quoad facti substantiam et praecipua adjuncta, probat primam cognitionem esse *veram*, ejusque transmissionem esse *sinceram*.

Hec uniformitas requiritur, non in unū tempore particulari, sed in omnibus temporibus; unde traditio.

3^o Debet esse *constans*: si enim esset interrupta, ita ut aliquo tempore in nihilum abeat, et postea resumatur, non amplius habemus certitudinem facti enarrati; regredi non possemus ad ipsum fontem traditionis, nempe ad testes oculatos.

II. Ex parte *facti* requiritur ut traditio sit *illustris*, nempe ut ejus objectum publicum sit et notorium, ita ut ad attentionem plurim excitatandam polleat, et præterea a pluribus semper cognosci potuerit.

219. — Monumenta optimam afferunt confirmationem traditionis, sicut et historia. Per monumentum intelligitur opus aliquod artis ad facti memoriam testandan elaboratum, v. gr., numismata, inscriptions, picture, adiicia, etc.

220. — Traditio Ecclesiae omnes has dotes sibi vindicat, ac proinde præ se fert omnes characteres certitudinis humanae: amplissima semper fuit, nempe innumeris semper testibus constare visa est, quorum multi inter se nullam communicationem habuerint. Est uniformis et constans, ita ut inter testes remotissimos ratione temporis et loci nulla sit diversitas.

Præterea versatur circa factum illustrē, attentionem excitans, nemini indifferens, siquidem agitur de eventu qui pro omnibus erit fons salutis perpetuae aut eternæ damnationis. Igitur, traditio Ecclesiae, etiam divinis promissionibus orbaretur veracitatis, semper haberi deberet ut maxima gaudens certitudine humana.

II. De historia.

221. — Historia est etiam aliquod medium peculiare cognoscendi facta, que secus propter temporis lapsum ignorarentur, et idcirco simul cum traditione aliquod exhibet testimonium testimoniū mediatorum. Historici tamen esse possunt testes oculati factorum que narrant; sed hic narratus pro legibetis est semper aliquod testimonium mediatum, siquidem instrumentum seu codicem nonnihi opera aliorum exceptimus.

222. — Ut historia tanquam testimonium certum haberi possit, requiritur.

I. Ut sit *vera*;

2^o Ut non sit *interpolata*.

Etenim certitudo testimoniū historici expostulat ut sit veritas in prima facti enarratione, nempe ut scriptor verum dixerit, seu scientia et probitate ornatus fuerit. Sed requiritur præterea incolamus transmissio ejus testimoniū.

223. — Ut constet de veracitate *testimonii primordialis*, plures iterum conditiones requiruntur sive ex parte *rei narrate* sive ex parte *narrantis*.

1^o Res quæ narratur non debet esse intrinsecus impossibilis, neque aliis factis certis contradicere. Si adjuncta rei que in se est absolutè possibilis, sibi invicem repugnant, suspicio etiam esset de ipsius testimonii falsitate.

2^o Quod *narrantis qualitatem*, requiritur ut historicus scientiam sufficientem habeat rerum de quibus scribit, et præterea sit probitate exornatus.

Scientia et veracitas scriptoris determinantur ex adjunctis : Igitur si testis so ubique gravem, probum, veritatis amantem exhibeat, si ad notitiam certam rei habendum fuerit idoneus, illi denegari nequit auctoritas.

Omnis enim dotes habet quæ ad veracitatem testis suadendam sufficiunt.

224. — Ut constet de veracitate *testimonii actualis*, non sufficit ut compertum sit scriptorem non fuisse deceptum neque deceptorem; requiratur enim insuper ut primordiale testimonium ad nos usque incolume perveniat, nempe ut liber sit authenticus et incorruptus.

1º Dicitur *authenticus*, quando revera *pertinet ad hunc auctorem vel tempus cui ascribitur*. Authenticitas adstruit argumentum intrinsecum vel extrinsecum.

Argumentum *intrinsecum* illud est quod ex ipsa indole libri desumitur : v. gr., conferendo stylum, doctrinam, sententias, etc. libri, sive cum indole, moribus, opinionibus, etc. ipsius auctoris aliundē cognitis, sive cum ratione scribendi temporis quo ipsum auctor scripsisse perhibetur.

Argumentum *extrinsecum* illud est quod desumitur sive ex testimonio coævorum, sive ex aliqua traditione certa, sive ex quibusdam monumentis nomine auctoris et operis referentibus, etc. Liber qui non est *authenticus* seu *genuinus*, dicitur *suppositus* aut *spritus*.

2º Dicitur *incorruptus*, quando ei nihil est additum et nihil detractum; secus diceretur *interpolatus* aut *mutillatus*, et generatim *corruptus*. Integritas comprobatur per collationem variorum codicium, quando deest autographus certè authenticus. Si plures existant codices apprime conformes, haec conformitas fontem omnium esse communem demonstrat.

Sed fons plurium potest esse communis quominus ipsius stirps sit verus autographus. Possimus enim distinguere 1º fontem *immediatum* codicum quos habemus, 2º fontes *mediatas* ex quibus hi fontes immediati exordium ducunt, et tandem 3º fontem *primarium*, seu ipsum opus auctoris manu propria aut aliena conscriptum.

Si igitur certo constaret codicium conformum genesis ita esse ut sint codicium series que nullum fontem *communem* habeant nisi *primarium*, liber ut *interpolatus* haberi non posset : conformitas cum ipso auctoris opere evaderet in dubio.

225. — Methodus benè judicandi de authenticitate et

integritate librorum dicitur ars *critica*, a verbo græco κρίνειν, *Judicio*.

Ars vero *hermeneutica* artem denotat verum librorum sensum determinandi; vox *hermeneutica* ab ἐφυγεῖσι, *interpretor*, eruitur.

De scepticismo.

226. — Ex enucleatis et probatis circa fontes veritatis, iudicium ferre possimus de scepticismo, qui tueri conatur omnia hac media, vel quedam saltem, imparia esse ad veritatem inveniendam, ac proinde contendit *nihil* posse certè cognosci seu de omnibus esse dubitandum, vel in omni rerum ordine vel in quodam particulari.

Cum dubium esse possit universale vel particolare, fictitium et hypotheticum, vel reale, definitivum et absolutum, sequitur scepticismum dividi posse :

1º In universalis seu Phrythonismum, qui fertur circa omnes veritates omniaque media cognoscendi, ac proinde omnem possibiliterum verum inveniendi abiicit.

2º In particularem, qui medium aliquod particolare cognoscendi inficiat, unum aut alterum veritatum ordinem incertum esse asseverat.

3º Tandem Cartesius, existimans certitudinem omnem funditus dimanare ex testimonio conscientia, dubium hypotheticum ad methodicum induxit, et aliquem scepticismus sui generis amplexus est. In primo paragrapho agemus de hac dubitatione Cartesiana; quia est simul fictitia seu ad demonstrationem spectans, et realis seu vere sceptica, ac proinde est methodus viam pandens ad realem scepticismum; in secundo, de ipso scepticismo universim sumpto.

§ I. De dubitatione Cartesiana.

227. — Circa hanc dubitationem methodicum non omnes Philosophi idem iudicium ferunt, siquidem alii, uti Rationalistæ, summis laudibus Cartesium extollunt, dum alii, præsertim Traditionalistæ, hanc methodum acriter nimis impugnant. Verum sepiissimè contigit ut laudatores et adversarii, ad suum iudicium ferendum, non solummodo consideraverint methodum illam in se, verum etiam illum

influxum quem habuit Cartesius in Philosophiam et Theologiam. Praeterea dum loquuntur speciatim de ejus methodo, non sat animadvertunt Cartesium agere de certitudine philosophica, non autem de naturali, atque dubitationem *scientificam*, potius quam veram et practicam, invexisse.

Ut exaggerationes illas contrarias vitemus, 1^o loquuntur tantum de methodica dubitatione in se, et 2^o expendimus ejus valorum scientificum. Litem igitur non movebimus de mente Cartesii, seu non inquirem us quisnam fuerit scopus hujus auctoris in illo systemate condendo, ac proinde omnes retractationes aut explicaciones quae illum scopum, nempe mentem auctoris aperiunt, ad rem nostram parvi faciunt. Igitur utrum in mente Cartesii dubium inventum fuerit serum aut fictitium, practicum aut speculativum, id ne minimum quidem interest. Quare remus simpliciter an methodus Cartesiana valcat ad certitudinem *philosophicam* generandam?

I. Exponitur dubitatio Cartesiana.

228. — Existimavit Cartesius ad *edificium scientiae*, remotis erroribus, extruendum regnare: 1^o ut semel in vita de omnibus dubitamus; sic poterimus omnia praedium quibus imbuti sumus exuere, ac proinde ad certitudinem philosophicam devenire.

2^o Hic labor eversionsis ad omnes cognitiones intellectus, rationis et sensuum exterorum se extendit. Cartesius certitudinem, sive principiorum per se notorum, sive ipsarum mathematicarum demonstrationum, sive denique rerum existentium prorsus rejecit.

229. — Semel poracta in nobis hac eversione cujuslibet veri, Cartesius totum *edificium cognitionum super fundamento incongruo reedificare vult*.

1^o Ad conscientiam se convertens, ab ipsa monetur se dubitare, seu cogitare, ac proinde existere; hoc vero factum alteri priori unitur: ille enim qui cogitat, nequit non esse. Inde celeberrimum effatum Cartesii: *Cogito, ergo sum*. Ex prima cognitio, et omnium certissima.

2^o Sed huc prima veritas constat factio cogitationis, ex quo eruitur factum existentiae, quod cum primo ita con-

nectitur ut unum sine altero concepi nequeant; vi hujus connexionis, secundum factum affirmatur, et inde Cartesius canonem sequentem attulit: *Quidquid continetur in idea clara et distincta verum est*.

3^o Hoc principio fretus existentiam Dei demonstrat: Idea enim Dei est in nobis, ut constat testimonio conscientie; atqui in idea entis infiniti notio ejus existente clarè et distincte includitur; ergo Deus existit.

4^o Sed Deus *necessarius* concipiatur *ut verax*.. Atqui veracitas divina veritatem nostrarum facultatum implicant, que sunt donum et testimonium Dei veracis. Hoc pacto certitudinem generatim nanciscimur.

II. Quid sentiendum est de hac methodo?

230. — THESIS. *Methodica dubitatio suo numeri est impar, atque in circulum vitiosum impingit*.

Probatur 1^o pars. Dubitatio methodica inventa est ad certitudinem firmorem et omnino scientificam constabiliandam; atqui statim ea in dubium revocat veritatem rationis, sibi praecedit unicum medium quo posset certitudinem scientificam acquirere.

Etenim 1^o principium illud: *cogito, ergo sum*, non potest ut certum haberi quin intellectus, cuius est percipere et affirmare relationem *antecedentis et consequentis*, sit verax; ergo si intellectus ut verax non habetur, principium illud quo nititur certitudo philosophica, erit dubium.

Si responderetur conscientiam ad illud factum complexum percipiendum sufficere, hec profectò non valeret responsio; nam analysis et synthesis hujus facti requirunt ad judicium ferendum. Porro istæ operationes ad intellectum pertinent. Ergo nulla certitudo philosophica, quin intelligentia ut verax habeatur.

2^o Quando ex primo effato eruitur canon: *quidquid continetur, etc.* (229, 2^o) id profectò non praestat conscientia, que non est facultas ratiocinandi. Ergo hæc methodus suo numeri est omnino impar.

Probatur 2^o pars: Impingit in circulum vitiosum. Ex Dei existentia et veritatem comprobatur veracitas nostra.

rum facultatum. Verum haec ipsa Dei veracitas non constat nisi jam demonstrata sit veracitas facultatum. Ergo.

§ II. De vera dubitatione seu de scepticismo proprio dicto.

231. Quoad dubitationem scepticam particularē, nullus est fons cognitionis cuius veracitas non fuerit negata : hinc variae formae scepticismi particularis.

1^o *Empiriste*, intellectus et rationis veracitatem impugnantes, contendunt ea tantum esse certa quae sensibus externis vel sensu intimo cognoscuntur. *Positivista*, ut aiunt, ulterioris progredientes, hoc dogma princeps profertur : soli experientia externa confidendum et innitendum est; inde dogent nihil affirmari posse de rebus que sensuum captum transgreduntur, ac preinde metaphysicam, non sicut ae Theologiam, et dominio scientie abiciunt, quae tota sistetur in cognitione legum naturae sensibili generaliorum.

2^o *Idealiste*, ex adverso, alii cum Berkeley, seu Vulgares, recusant sensus externos tantum, alii seu Transcendentales, non tantum sensus externos, sed etiam internos, et ipsam conscientiam recusant, ac proinde nihil certum habent, praeter puros conceptus idealis.

3^o *Rationaliste*, vim rationis individuali, seu subjectivae nimis extollentes, rejiciunt omnes veritates rationi subjectivae non evidentes : unde quidquid non est rationalisticus consideranti intrinsecus evidens reputatur falsum aut dubium. Rejiciunt ergo directe testimonium divinum, et omnes veritates supernaturales.

Verum cum has diversas formas scepticismi particularis vel jam confutavimus, vel opportuniore loco et distinctius impugnabimus, in presens impetrare suffici illis tantum scepticos qui dubitant de omnibus veritatibus. Porro inter veteres scepticos, celebriores habentur Pyrrho Eleates (anno circiter 330 ante C. N.), Carneades (anno 170 ante C. N.) nove Academie auctor, et presertim Sextus Empiricus, qui in libro hypothoseon ad formam scientificam argumenta scepticorum rediget. Inter recentiores, qui scepticorum deliramenta pene oblivioni data excitaverunt, famam aliquam consecuti sunt Montaigne in

Gallia (sec. xvi), Bayle in Hollandia (sec. xvii), David Hume in Anglia (sec. xviii) etc.

Contra hos omnes, sequentes theses stabilissimas :

232. — THESIS I. *Universalis dubitatio physice repugnat.*

Probatur. Physice repugnat ut quis naturam suam exuat; atqui universalis dubitatio ipsius naturæ depulsionem importaret. Ergo.

Major non eget probatione, nam evidens est, *v. gr.*, eum qui sensu pollet, frigus et calorem non posse suis temporibus non sentire.

Ad minorem. Quod scepticismus universalis naturam exuerit, non minus evidens est : Homo, cum habeat facultates cognoscendi, non potest abjecere omnem cognitionem certam, nam idem esset ac abjecere ipsam facultatem; facultas enim cognoscendi nunquam suum officium veritatis assequenda adimpleret.

Ergo universalis dubitatio physice repugnat.

Præterea sceptici universales seu pyrrhonici sibi perpetuæ et aperte contradicunt : isti enim homines usibus vite sicuti dogmatici se gerunt : *v. gr.* cibo reficiuntur, pericula vitant, contractus realitatem admittunt, etc. Ergo in omni vite ordine sicuti dogmatici se gerunt, dum in ordine speculandi de omnibus dubitant.

233. — THESIS II. *Cum vero pyrrhonico qui se in omnibus scepticum esse profletur, disputari nequit.*

Probatur. Ad disputationem instituendam requiritur :

1^o Fundamentum et 2^o conditio demonstrationis; atqui sceptici perfecti fundamentum et conditionem demonstrationis rejiciunt. Ergo.

Demonstratio exordiū debet ab aliquo principio certo, secus conclusionem certam nunquam dare posset; præterea requiritur ut ratiocinii vis non repudietur, nempe ut non negetur mentem posse ab uno vero in aliud tuto deveneri. Igitur disputatione subaudit principia certa et possibiliter transcedunt sine errore ab hisce principiis ad conclusiones. Atqui illi quo scepticum se in omnibus esse profitentur 1^o nullum admittit principium certum, neconon

2º omnem ratiocinio vim denegat. Ergo cum tali homine disputari nequit.

Verum si disputatione convinci nequeunt, possunt tamen absurditatem et insipientiam coargui; eorum sane doctrina facilissime reverti potest.

234. — *THESIS III. Universalis dubitatio intrinsecam contradictionem includit.*

Probatur. Scepticismus universalis in patenti contradictione versatur 1º ex eo quod praxis theoriam respuit, 2º ex eo quod dogmatismus impugnare nequit, quin dogmatismus affirmet. Ergo.

1º Est patens contradictione inter proximam et theoriam, ut constat ex antea dictis (232). Unde *physicæ* repugnat.

2º Nequit scepticismus affirmari quin dogmatismus adstrinatur. Itaque *metaphysicæ* repugnat.

Et enim, 1º scepticus, qui docet in omnibus rationem esse fallacem, in hanc persuasionem devenire nequit nisi ex rationis usu : ex perpense enim falsitate dogmatismi aliquis se scepticum profiteret, et idcirco vi ratiocinii.

2º Dum dubium affirmit, semper pro vera et inconcusa tenet *veritatem dubii*, namque propositionem sequentiam ratam ac veram habet : *nihil cum certitudine cognoscere possum*. Igitur ex sola dubii positione affirmat aliquid verum, et præterea inconcussum habet testimonium conscientium illud verum referentis.

235. — *Corollarium.* Cum intrinsecus repugnet universalis dubitatio, patet 1º contra Cartesium et Hermesium philosophiam ab universalis dubitatione sive fictitia sive reali exordiri non posse; ab aliqua ergo affirmatione *per se* dubius initium sumere debet; 2º contra quosdam rationalistas, initium philosophandi stare necessarium in aliqua veritate *indemonstrabili*, qua sollicit propria fulgeat perspicuum, et per alias principia superiora collustrari nequent. Qui enim vellet in omnibus ad certitudinem philosophicam ope solius demonstrationis devenire, ipsam philosophandi possibilitatem destrueret. Patet 3º contra idealistas et rationalistas principium philosophandi non esse in solis principiis rationis, nec in solis factis experientiis; sed in utrisque mutuo conspirantibus.

De veritatis primitivis et de idearum valore objectivo.

236. — *Veritates primitivæ*, quæ ut fundamentum, seu ut prima regula, eujuslibet demonstrationis haberi debent, sunt tantummodo tres, licet multa alia sint principia indemonstrabilia. Dicuntur « *primitivæ* », non in eo sensu quod sint fons omnis cognitionis, sed quia illis innitter omnis certitudo. Istae veritates sunt :

1º *Factum primum*, quod est existentia propria cogitantis. Dicitur *factum primum*, quia negativo est *primum*, quatenus nullum aliud factum ante ipsum affirmatur.

2º *Principium primum*, quod est contradictionis principium : *idem non potest simul esse et non esse*. Fundatur enim in idea entis, quam intellectus omnium *primum* format, et ex ea *immediata* intelligitur.

3º *Conditio prima*, nempe rationis aptitudo ad veritatem assequendam. Sane admitti debet 1º philosophus antiquus discat philosophiam; 2º principium demonstrationis animo quoque libet demonstrationem; 3º possibilitas scientiae ante scientiam.

236 bis. — Notandum est quod illa aptitudo ad cognoscendum exprimit ipsam essentiam mentis, quæ non est nisi facultas cognoscendi. Porro, cum illa veritate primitiva et indemonstrabilis nec sit altera de *valore objectivo* *idearum*, quæ et ipsa nequit per se demonstrari; tamen indirecte demonstratur, ostensio scilicet nexus evidenti cum essentiali aptitudine mentis ad cognoscendum: dicere enim ideas haberet valorem objectivum, idem est ad affirmare ideas representare aliquid seu esse apprehensiones rerum. Porro, licet dubitare possemus an reale sit quod cogitamus, an verum sit quod exprimitur nostris judiciis, fieri tamen nequit quod dubitemus an aliquid sit quod ab ideis representatur, an sit illud idem quod apprehendimus seu per ideas cogitamus (192).

Quod hic valor objectivus nequeat *directe* demonstrari constat ex eo quod demonstratio fieri nequeat nisi per ideas, et nisi jam supposito carum valorem objectivo : demonstratio debet ostendere rem esse sicut efficiat, ac proinde presupponit certam notitiam ordinis objectivi.

236 ter. — *Ordo idealis cognitionem nostrarum innitit primo principio*, et ordo realis, *primo facto*. Metho-

dus quæ, rejecto plane ordine externo et experimentalis cognitionum, in solis principiis rationalibus a priori evolvendis tota est, dicitur methodus *transcendentalis*: dum methodus quæ, reliet omnibus principiis rationalibus, ad sola facta scrutanda totam scientiam revocat, dicitur methodus *experimentalis*, cui revocatur hodiernus *positivismus*, ut appellatur: hic enim totum ambitum scientia ad solam factorum *sensibilium* investigationem coaret.

Utraque methodus, ut constat ex dictis, est quedam particularis forma scepticismi, et ideo amplior confutatio transcendentalismi et positivismi hic esset redundans et inutilis.

CAPUT III.

DB VERITATIS CRITERIO.

237. — *Kritikos*, quod juxta vim nominis *judicatorium* significat, est norma secundum quam verum a falso secerimus, seu, aliis verbis, est aliquod medium judicandi, quod de veritatis possessione nos certos reddit. Exhibit ergo motivum certitudinis.

Duplex distinguitur criterium: 1º criterium per quod nempe *fons cognitionum*, qui constat facultate qua *judicium profert*: de illo criterio egimus in superiori capite. 2º Criterium secundum quod, seu motivum quod cognitionem veritatem suadet: de hoc secundo agendum est.

Loquimur de criterio propriè dicto, nempe de illo quod omnibus particularibus criteriis implicitum est, vimque tribuit, ideoque est universale. Sunt enim particularia critera, quae cognitionum singularium veritatem suadent. Sed in his indicis specialibus latet indicium generale, quod omnibus inest, eisque totam vim tribuit: en criterium veritatis propriè dictum. Hujus proinde criterii characteres sunt: unitas et universalitas, prioritas et infallibilitas.

Circa illud, per viam eliminationis procedendo, queramus 1º quid non sit, seu falsa critera repellentur, 2º quid sit, seu verum criterium determinabimus et tuebimus.

ARTICULUS I.

De falsis criteriis.

238. — Falsa critera a variis auctoribus inducta ad duplum classem reduci possunt. Prima classis ea comple-

titur qua normam illam judicandi reponunt in *aliqua re extrinseca* tum rationi nostræ, tum objecto huic de cuius veritate certitudinem querimus. Secunda classis ea complectitur critera que sunt *mere intrinseca* subiecto judicanti.

De criteriis utriusque classis agemus in sequentibus propositionibus.

239. — **THESSIS I.** *Auctoritas sive humana sive divina non est unicum veritatis criterium.*

Hæc propositio duplum complectitur partem: in prima parte contra De Lamennais demonstrabimus humanam auctoritatem non esse unicum veritatis criterium; secunda pars contra Huettium, Bautain, etc., assarit auctoritatem divinam non esse unicum veritatis criterium.

1^a pars. Asseruit De Lamennais rationem individuum per se minimè valere ad aliquid cum certitudine cognoscendum; et idem statuit circa sensum intimum, sensus externos et ratioinem. Hæc omnia media, juxta ipsum, haberi debent ut tot fontes dubii et erroris; regula infallibilis seu unicum veritatis criterium est consensus communis humani generis, cujus testimonium ipsius Dei testimonium est. Illud sistema a Gregorio XVI, P. Max., fuit proscriptum (Encycl. die 25 junii anno 1844). Ejus autem falsitas certius argumento adstruitur:

Haberi nequit ut universalis norma judicandi quod 1º totum fere genus humanum qualibet certitudine orbat, 2º secum pugnat, atque 3º non nisi per aliud criterium definiri potest. Atqui haec omnia dici possunt de criterio illo quod invexit De Lamennais. Ergo.

Probatur minor. 1º Majorem partem generis humani privaret certitudine, ut per se patet; nam evidens est majorem partem hominum non posse ad omnia tempora et loca se pretendere ad illum consensum colligendum.

2º Secum pugnat. Nam *omnes homines* singillatim sumpti multa ut rata et certa habent antequam consulant illum sensum communem; atqui illud testimonium omnium hominum constituit consensum communem. Ergo consensus communis fatetur, homines aliquid certo cognoscere posse sine illo criterio a De Lamennais invento, ac proinde in hac hypothesi consensus communis pugnaret cum sensu communi.

^{3o} Non nisi per aliud criterium definiri potest. Motivum certitudinem determinans debet cognosci priusquam certitudinem determinet. Ergo consensus communis, qui esset unicum illud motivum, debet cognosci seu determinari antequam adhibeat. Atqui non potest determinari nisi per se aut per aliud criterium. Si per aliud; ergo istud præexistit, et proinde consensus communis non est unicum et primum criterium. Si per se; jam impingimus in circulum vitiōsum, et præterea in seriem indefinitam: unus enim consensus per aliū distinctum definiretur, et ite per aliū, et sic deinceps...

Ergo nunquam inveniretur primum criterium seu primordialis norma judicandi.

Prob. 2^a pars, quæ est contra Huetium et nonnullos Traditionales philosophos, videlicet: *revelationem diuinam reque unicū veritatis criterium esse*, neque *ordine primum*.

Etenim, divina revelatio quasdam veritates prævias subaudit, scilicet 1^o Deum esse, 2^o Deo revelanti esse credendum, 3^o Deo aliquid credendum proponere; atque divinae revelationes fidem non adliberemus nisi iste veritates ut certe haberentur; ergo revelatio, quæ de his veritatibus nos certos reddere nequit, non est unicum et ordine primum veritatis criterium.

^{240.} — *Scholam*. Hæc doctrina circa criterium veritatis sponte fuit ex doctrina Traditionalium, ut ostendamus in psychologia, et ipse De Lamenensis, ut expressis verbis testatur, eam deprompsit ut corollarium ex his doctrina.

241. — THESIS II. *Ultimum veritatis criterium reponi nequit*
^{1o} *in testimonio conscientia*, ^{2o} *in sensu seu interiori affectu animi*, neque ^{3o} *in cœvo naturæ instinctu*.

Nota. Ultimam partem theses propugnamus contra Reid et totam scholam Scoticam; secunda adstruitur contra Jacobi, Benj. Constant, Rousseau et alios, et tandem primaria tuemur contra Galuppium.

Prob. 1^a pars. *Ultimum veritatis criterium non reponiatur in testimonio conscientiae*.

Etenim conscientia testimonium versatur circa facta interna, et actu *reflexo* constat. Atqui criterium generale nos certos reddere debet de factis externis sicut de intentionis, et simul est norma pro cognitione *directa* non minus

quam pro *reflexo*. Ergo impossibile est ut testimonium conscientiae sit ultimum veritatis criterium.

Prob. 2^a pars. *Illud criterium non stat in interno affectu animi*.

Probatur. Quod morè *subjectivum* est, *variabile*, *indefinitum*, atque a subjecti physica constitutione, phantasia, prejudicilibus, cupiditatibus, etc., maximopere dependet, non potest esse ultimum criterium veritatis *objectiva*, *inmutabilis*. Atqui talis est interior affectus animi. Ergo falsum est criterium quod invenixerunt *sentimentales*.

Prob. 3^a pars. *Cœcus naturæ instinctus non est ultimum atque universale veritatis criterium*.

Juxta Reid ejusque scholam, est in nobis quidam instinctus naturalis mentem invincibiliter impellens ad quendam affirmanda, quorum nulla ratio reddi potest. His instinctibus ab ipsis *sensus communis* nuncupatur, qui veritates primordiales ita asseverant ut homini non relinquat facultatem expendendi aut introspicendi motivum sui assensu. Quorum placitum ita falsi arguitur :

Prob. 1. Illud quod certitudinem omnem irrationalabilem redderet atque ipsi scientie fidem cœcam subrogaret, nequit esse ultimum veritatis criterium. Atqui hæc omnia efficerit criterium Reidii. Ergo.

^{1o} *Reddit certitudinem irrationalabilem*, nam, in hac sententia, humana mens nunquam posset naturalis certitudinis rationem sibi reddere.

^{2o} *E medio scientiam pelli*: Scientia est cognitio certa et evidens per demonstrationem *propter quid* acquisita, ac proinde exorditur a principiis certis et evidenter, quorum evidencia et certitudo in omnes conclusiones refunditur. Atqui systema scholæ Scoticae ad fidem cœcam reducit cognitionem *primordialium veritatum*. Ergo cognitio omnis, qua ab hisce veritatibus exorditur, ad fidem cœcam reducitur, ac proinde nulla remanet scientia proprie dicta.

^{II}. Præterea ut per illud criterium certus sim de aliquo, requiritur ut indubie sciám 1^o hunc instinctum revera esse in me, et 2^o me tuto ducre ad veritatem. Jamvero de his omnibus certitudinem habere nequeo nisi per *aliud criterium*. Etenim si necessitate naturæ seu yi ejusdem instinctus his fido, tunc revera mihi necessarium est ita

credere; sed an res verè ita sit, prorsus nescio. Ergo.

242. — Schelium. His non agenus de sententiis que criterium veritatis repugnat sive in rationibus eternis in ipsa mente divina a nobis immediata perspectiva, sive in idem entis idealis, sive tandem in intuitione ipsius actus quo Deus creat existentes. Ille figura prorsus gratuita, que experientia non minus quam recte ratione repugnat, confusabimus in Psychologia. Cum expendamus ipsa systemata à Malebranche, Rosmini, Globerti invenias, hec critici excusentur.

ARTICULUS II.

De universali veritatis criterio seu de evidencia.

243. — Agitur hic de certitudine naturali, neutriquam vero de certitudine supernaturali fidei. Generale criterium quod hanc certitudinem naturalem determinat, quodque in omnibus criteriis particularibus latet implieatum, ac terminum analysis partitum motivorum assentiendi exhibet, inquirimus. In nostra sententia illud criterium universale est evidencia. Hinc debemus l^o sedulo declarare quid sit evidencia, et 2^o probare quod in ea consistit criterium veritatis.

§1. De evidentiis in se.

I. Quid est evidencia?

244. — Evidentia nihil est aliud quam *objecti perspicuitatis* seu *visibilitas quedam eminens*. Haec visibilitas consurgit 1^o ex realitate objecti, 2^o ex copia lucis quae objectum illustrat, 3^o ex eo quod objectum luce sua facultatem videndi actu percusat; qua tria *significatione propria* evidentiam *sensibilem* constitutum; in sensu translatu evidentiam *intelligibilem* determinant. Evidentia *realitas* idem dicit *ac veritas*, et *lux pro motiis* veritatem manifestabilium sumitur.

Haec autem omnia se tenent ex parte objecti: unde evidencia objective strictè definiri potest: *ipsa cognoscibilitas* (151, 2^o) *sese manifestans intellectui ea claritate, ut assensum per se et necessario determinet*. Et in eodem sensu solet etiam definiri: *necessaria veritatis intelligibilis*.

245. — Sed perceptio hujus rei evidenter cum *ipsa evidencia* permisceri non debet. Perceptio enim est affectio subjecti intelligentis. Jamvero evidencia strictè sumpta, ut modò definita fuit, non ad intellectum pertinet, sed ad

objectum intellectus: quod luculentus patet ex usu loquendi. Nemo enim dicit: *Ego sum evidens*; sed recte dicitur: *Hoc est evidens, evidentia resistere, nos cogi ab evidentiis*. Ergo evidentiis propriis et stricte est tantum *objectiva*.

Verumtamen cum cognoscibiliati respondeat cognitio, fit ut aliquando evidentiis *subjectiva* dicatur. Haec evidentiis subjectiva, quae est aliquis status mentis veritatem clare percipientis, ac proinde *effectus* evidentiis, potest definiiri: *ipsa claritas intellectus et necessitas assensus respondens evidentiis objective*.

246. — Cum evidentiis sit fulgor veritatis, patet ideas strictè loquendo non dici evidentes (156); judicia duntaxat dici possunt evidentiis (155).

II. Quotplex est evidencia?

247. — Licet evidentiis, que *abstracte* (nempe quatenus ipsa *essentia* distinguuntur ab *evidente*), est objecti claritas, sit unica, tamen pro *ratione modi* quo se contundam menti porrigit, est multiplex; et sub hoc respectu debet presertim considerari, qui se refert ad originem certitudinis.

1^o Evidentia potest esse *immediata* vel *mediata* quatenus veritas per se menti innotescit, vel tantum vi relationis cum alia veritate prius cognita.

2^o Evidentia vel absoluta est, vel *hypothetica*:

Dicitur *absoluta* quando res aliter se habere nequit in qualibet hypothesi: v. gr., totum est maius sua parte. Est *hypothetica* quando absolute loquendo, res aliter se habere potest, ac proinde, data hypothesi, aliter revera esset; v. gr., hic mortuus non reviviscet nisi fiat miraculum.

3^o Potest etiam dividii in *intrinsecam* et *extrinsecam*.

Dicitur *intrinseca*, quando re sola spectata, manifestatur nexus necessarius qui sive absolute, sive *hypothetica* constat inter subjectum et predicatum, ut in hac propositione: *Omnis effectus habet causam*. Ipsa ergo veritas manifestata menti est in se evidens.

Dicitur *extrinseca*, quando non prodit ex ipsa manifestatione objecti, sed ex manifestatione aliquius extrinseci cum propositionis veritate necessariò connexi. Evidens est ratio postulans assensum huic veritati; et sic ista veritas,

in se non evidens, fit tamen evidens in fulgore hujus rationis. Exemplum habemus in omnibus iudiciis qua in auctoritate fundatur. Auctoritas est aliquid hisce veritibus extraneum : verumtamen constituit evidentiam harum veritatum, que proprio sensu *evidentes* dici nequeunt, sed solum evidenter *credibiles*.

§ II De evidentiâ ut est criterium veritatis.

243. — **THESIS.** *Evidentia, prout a nobis fuit definita, est universale et ultimum veritatis criterium.*

Probatur. Criterium veritatis, ut constat ex dictis (237), est indicium aut norma qua veritatem a falsitate distinguimus, seu motivum quo adducimur ad assensum certum ; atque haec norma aut illud motivum non potest esse nisi evidenter. Ergo evidenter est criterium veritatis in generere inspectum.

Probatur minor. I. Certitudo gignitur quando omnis formido errandi penitus exclusa est (168). Atque formido errandi cessat statim ac nullae remanet suspicio quod res alter se habere queat ac appareat, seu quando *necessitas* propositionis est planè comperta.

Ergo hec necessitas propositionis seu evidenter *veri* (155, 244) propositi menti innotescens, est criterium veritatis, id est, motivum determinans assensum certum ; statim ac cognoscimus rem necessariâ ita esse, veritas propositionis fit nobis perspicua, et assensum determinat certum.

2^a Si partialia motiva sedulo investigemus quibus adducimur ad certitudinem, videbimus ea refundi in quoddam motivum generale. Illud est *perspicuitas veritatis* seu *ipsa entitas* objecti prout ita contundam se porrigit ut apparent necessariâ esse sicut se porrigit.

Exempla. 1^a Quoad iudicia rationalia immediata, nempe quorum elementa sunt ideas universalissimæ, et ideo comprehensione notarum simplicissimæ, ut est sequens ; totum est magis sua parte, motivum assensum est *perspicuitas nexus necessarii* inter subjectum et attributum, seu evidenter propositionis.

2^a JUDICIA mediata ut certa habent statim ac *nexus* horum iudiciorum cum principio certo fit *perspicuus* ; quando mens videt *nexus* seu intelligit demonstrationem,

evadit certa. Quamdiu hic nexus non fit ita intelligibilis ut elueat rem necessario ita esse, mens non quiescit.

Ergo indicium veritatis est necessarium ejus intelligibilitas menti innotescens.

3^a Si agitur de iudicio experimentali, v. gr., hic lapis est niger ; statim ac lapis ita oculis fit perspicuus, ut clarè deprehendam lapidem ita esse et non alter, certus sum. Indicium veri est etiam perspicuitas objecti.

Indicium ergo, quo ratio naturaliter utitur ad vegetamenta discernenda, est evidenter.

244. — **SCHOLIA.** I. **Intellectus, per se spectatus, veritati que ipsi evidens est, assensum denegare nequit ; nam intellectus est potentia necessariâ agens, nimisrum quæ a suo objecto determinatur ad actuum.** Verumtamen intellectus, per voluntatis influxum, *aliquando* potest ab assensu retrahiri. Dixi *aliquando*, nam quad veritates immediatas, voluntas non potest impeditre assensum intellectus. Sequentes propositiones : aliquid non potest simul esse et non esse ; totum est magis sua parte, possunt utique ore negari, sed interna veritatis eorum persuasio tolli nequit : excludunt enim ejusmodi veritates possibiliter formidinis sive prudentis sive imprudentis. Si agitur de veritatibus mediatis, voluntas potest, saltē *indirecti*, nempe divertendum attentionem ab objecto, assensum impeditre : excludunt sane istæ veritates possibiliter formidinis prudentis de errore, non tamen formidinis imprudentis. Inde intellectus ex se aliquo modo indeterminatus remanet, ac proinde potest a voluntate inclinari.

II. Evidenter est infallibilis, nam si indicium veritatis fallibile dicetur, ratio esset planè inepta ad veritatem acquirendam, quam certò recognoscere non posset.

CAPUT IV.

DE ERRORUM ET IGNORANTIÆ CAUSIS.

250. — Jam perspectis antea fontibus veritatis ex una parte, et indicio quo eamdem cognoscimus ex altera, quaerere debemus quare mens a vero aliquando deflectere pos-

sit, aut saltem ad illud usque interdum non perveniat. Sicut enim usus rectus facultatum nos ducit ad verum consequendum, ita carundem abusus nos ad errorum devocat, aut in ignorantia relinquunt.

ARTICULUS I.

De errorum causis.

251. — Error reperiri potest tantum in iudicio, siquidem, ut antea diximus, veritas aut falsitas formaliter sumpta non nisi iudicio inest (155).

Judicium subjective spectatum est rectum vel errosum: *rectum*, quando ideam, qua per attributum exprimitur, refert ad proprium ejus subjectum; *errosum*, quando hanc ideam a proprio objecto detorquet ut eam alteri objecto applicet.

Hinc error definiti potest: *Mentis assensus, quo vel negamus conformitatem eorum quae sunt conformia, vel affirmamus conformitatem eorum quae sunt disformia.*

Igitur objectum erroris est falsitas, quæ tamen sub veritatis specie menti proponi debet, nam formale objectum intellectus seu ratio ob quam hec facultas assentit, est veritas; porro qualibet facultas non potest moveri nisi tendendo ad suum proprium objectum: sic, v. gr., oculus non potest videre ubi non est lux.

252. — *Thesis. Fons primarius cuiuslibet erroris est in libera voluntatis motione.*

Probatur. Ut antea probavimus, intellectus dupliciter ad assensum determinatur, nempe 1º ab objecto vel 2º a voluntate. Atqui *objectum* quod assensum intellectus extorquere valeat, est dumtaxat veritas evidens (248). Ergo *voluntas sola* potest determinare intellectum ad *assensum errorum*.

253. — Ex dictis (251, 252) patet *causam adæquatam* erroris haec duo postulare: 1º ut falsum sub specie veri intellectui se offerat, 2º ut intellectum voluntas moveat; Porro fontes particulares errorum possunt ad primum aut secundum caput reduci.

1. In primum caput refunduntur 1º prajudicia, 2º confusio idearum, 3º anchoritas illegitima.

1º Per *prajudicium* intelligitur *opinio erronea animo altè defsa, qua tamén ultimur tanquam principiū certo.* Hæc prajudicia sunt diversa pro indolis, nationis, familiæ, educationis, sectæ, professionis, etc., varietate.

2º *Confusio idearum* adest quando *alius veritatis in iudicidio inconsulto subrogatur altera*, et tamen ratiocinia efformantur eodem modo ac si ageretur de eadem. Hæc confusio et inscia substitutio tanquam radix omnium ferè errorum haberi debet.

Causa hujus confusionis est 1º in imaginatione quæ ab uno phantasmate, ex duobus associatis, statim insciè pergit ad aliud, quo magis percipitur. Est 2º in obliuione alienj adjuncti, quo clapo, veritas ipsa elabitur; aut etiam 3º in objecti sublimitate vel subtilitate quæ attentionem difficiliorem exquireret; denique 4º est in vocabulorum indeterminatione aut æquivoca significatione.

Generatim ergo haec substitutio fit ex defectu attentionis ex reflexionis, sive ob ignaviam, sive ob impatienciam, ita ut, neglecto labore expendendi objectum cognoscendum, temere et inconsulto *sententia proferatur.*

II. Quoad causas proximas erroris quo refunduntur in *motionem voluntatis*, sequentes sunt notatae dignæ:

1º *Affectum dominatus* quo mens relictis illis quo inclinationi inordinate non favent, se convertit ad ea quæ his affectibus consonant: hinc causa assentienti non est evidencia, sed ipsa cupiditas. Ad hanc causam generalem pertinent ira, invidia, odium aut inordinatus amor, quibus unicè judicatur de objecto proposito, secundum benevoli vel malevoli animi propensionem, commodum aut partium studiorum, quod ex ante recensitis enascitur.

2º *Noxialis amor aut contradicendi prurigo* ob vanitatem aut nimiam proprie perspicuitatis fiduciam.

3º Sed cause omnium pessimæ sunt *voluntas et superbia*: Voluntas quæ, ut ait Ciceron, *omne lumen animi extinguaret*, praesertim si diu et intentè in aliquem dominata fuisset. Idem sentiendum est de superbia quæ deordinatio sui amore constans, extinguit in primis omne lumen supernaturale, et præterea obsecrat etiam lumen naturale.

234. — Istae omnes cause, quo primitivam radicem habent in voluntate, intellectum perturbant et illius assensum extorquent antequam evidenta veritatis illi affligerent: voluntas ergo serenitatem mentis obnubillat, intellectum aplaudit quibusdam veri apparentiis, et sic illius trahit ad falsum.

Remedia omnium errorum indicatur sequenti effato: *subiata causa, tollitur effectus.*

ARTICULUS II.

De causis ignorantiae.

235. — Licet error aliquam semper involvat ignorantiam, cum haec tamen non potest confundi: error enim importat assensum falsee propositioni, dum ignorantia nullum includit assensum aut dissensum mentis.

Igitur causa errorum semper haberi debent ut fontes ignorantiae, siquidem causa qua mentem a vero detorquent, ignorantiae, hujus veri exordium dant. Attamen sunt fontes quidam proprii solius ignorantiae, qui sunt naturales aut voluntarii.

236. Prima causa ex ipsis *naturali hominis conditioni* petitur, scilicet ex facultatum potentialitate et limitatione: 1º ex facultatum potentialitate, nam homo omnibus scientiis orbatus nascitur, ad quas operosè et pedetim pervenit ministerio sensuum, qui infirmitate et quadam ingenuita inertia laborant.

Deinde 2º ex absoluta facultatum limitatione in virium intensione, namque ratio ipsa, etiam exulta, non est satis *velox* ad citò perecipiendum, neque satis *memor* ad retinendum, neque satis *actua* ad acriter intelligendum, neque tandem satis *ampla* ad multa simul capiendum.

Tandem 3º ex facultatum limitatione relativa, scilicet in ordine ad objecti extensionem: et revera etiamsi dotibus supra enumeratis, quibus caret, eximiè polleret ratio, tamen nunquam pervenire posset naturaliter ad omnes veritates cognoscendas; quapropter, siue dominium eius objectivum ac possibile est illimitatum, ita eius dominium reale in ordine consecutionis necessario limitatum est et coarctatum. Hac ergo ignorantia est

necessaria, non autem voluntaria et pravae dispositio-
nis. (161)

Autumant Rationalistæ nullos esse limites intellectui humano praefinitos, necnon perfectibilitatem naturalem intelligentiae nostre se extendere ad totum ambitum intellegibilium. Contra hunc pessimum errorum affirmatur.

237. — THESIS I. *Dantur quædam veritates quæ absolutè et per se rationis humanae captum excedunt.*

Probatur. 1º Ambitus intelligibilium determinatur per ea omnia que intellectus infinitus intelligit. Atqui intellectus humanus est finitus, ut potius contingens et successivè perfectibilis. Ergo impossibile est ut hic intellectus ea omnia intelligibilia complectatur, quæ intelligit intellectus infinitus.

2º Tantum abest ut ratio humana ad omnia intelligibilia se extendat, ut etiam immunda sint in ipsis rebus *naturalibus* impervia huic rationi.

238. — THESIS II. *Verumtamen veritates supra rationem dici nequeunt contra rationem esse.*

Probatur. Contra rationem est id quod in terminis quibus constat, veritati evidenti opponitur. Atqui in veritatibus *naturalibus*, quæ supra rationem sunt, ratio suis viribus relicta, deprehendere nequit convenientiam vel repugnantiam terminorum. Ergo quæ sunt supra rationem, non sunt hoc ipso contra rationem.

Igitur generatim concludimus rationem humanam suapte nature, semper aliqui laborare ignorantia.

239. — THESIS III. *Veritates supra rationales, eti per proprias rationes apprehendit et cognosci a nobis nequeant, possunt tamen per fidem et auctoritatem credi.*

Prob. I. Rudes molles veritates scientificæ tenent quārum proprias et intimas rationes assequi nequeunt. Ergo nihil impedit quoniam veritates supra rationales semel proposita cognoscantur et credantur.

II. Veritates, etiam dogmaticæ, cognosci possunt per testimonium (189, 202), minime apprehensa eorum intra-

seca ratione. Ergo fide firma et certa teneri possunt, si testificans auctoritatem sufficientem habeat.

200. — Secunda causa ignorantiae reperitur in ordine *præpostero studiorum*.

Ordo præposterus studiorum variè haberi potest, sci-
llet :

1º Quando quis ad scientias sublimiores et abstrusiores, neglectis scientiis præviis, propter inconsultam cognos-
cendi cupiditatem aggreditur;

2º Quando in plures scientias longè dissitas simul dis-
cendas quidam incumbere conatur;

3º Quando absque ullo consilio et deliberatione pru-
denti, sed temeritate et libidine ducti, aliqui talia eligunt
studia, ad quæ nullam naturaliter habent aptitudinem.

In primo casu, nequeunt intime scientias recondita ri-
mari. In secundo, mens mole idearum obruta nihil per-
picue caput, nullamque notitiam harum scientiarum dis-
tinctam servat. In tertio, operam perdit, relictis disci-
plinis quibus fructuose vacare posset.

300. — Tertia causa reperitur in immodico contemptu
abstractarum cognitionum et in aversione ab omni ratio-
nicio prolixo.

Immodicus contemptus notionum subtilium hominem
reddit imparem sive ad cognitionem scientiarum superio-
rum, sive ad altè cognoscendum de qualibet scientia. Exinde fit ut in ignorantia plena torpescat aut in inchoata
cognitione stolidè stagnet.

Hee causa nostris temporibus valde communis est.
Multi enim negligunt quidquid supra sensus extollitur, et
odio habent omne quod imaginationem non delectat, aut
seus affectum non exercefacit; a rebus spiritua-
libus animo abhorrentes, ludibrii habent veluti chimaram,
stultam et vanam subtilitatem, omnes illas scientias ab-
tractas quo captum vulgi exsuperant. Igitur hee causa
partim refunditur in amorem voluptutum, et partim in
ineriam seu torporem animi respectu veritatum superiorum.
Exinde etiam fit ut illi qui hoc morbo mentis impli-
cantur, ratione dicendi unicè delectentur, necnon ab ipsa
veritate abhorreant.

Verumtamen in oppositum scopulum impingere non

debemus, scilicet, in immodiceam obscurarum questionum delectationem. Illecebra subtilitatum aut merè specula-
tionis qua mens tempus tereret in argutis, est utique
defectus longè rarius, sed tamen vitandus. Vergente jam
Scholasticorum tempore, fuit aequè communis hic ardor
cavillandi atque est nostra sejate defectus oppositus.

II. *Timor deordinatus cuiuslibet proliticatus* in ratio-
nando est etiam causa ignorantie. Etenim qualibet
scientia non nisi ope meditationis et reflexionis acquiritur;
constat enim pluribus notionibus inter se nexis, ac proinde
cognosci nequit quin hic nexus in lucem ponatur. Porro
odium cuiuslibet ratiocinii prolixo idem est ac odium
meditationis et reflexionis diuturna. Ergo hic timor ratio-
cinii aliquantulum continui merito communeratur inter
causas ignorantiae.

Transitio ad metaphysicam.

Hucusque ideas seu cognitiones ipsas consideravimus,
1º in suis elementis relationibus intrinsecis, 2º in
suis relationibus extrinsecis ad objecta, seu ad res in
seipsis. Nunc ad res ipsas transimus.

Hujus transitus possibiliter negavit Kantius, eo quod,
juxta ipsum, non cognoscimus res ut sunt in seipsis, sed
tantum ut apparent in ideis; ejusdem transitionis reali-
tatem negarunt Schelling, Hegel et generatim Transcen-
dentiales, eo quod putant ideam idem esse cum realitate,
ac proinde Logicam cum Metaphysicam.

Sed has negationes jam sufficienter præoccupavimus sta-
bilendo realitatem objectivam conceptum (192). Deinde
ex dicendis in Metaphysica evidenter apparabit absur-
ditas illorum systematum.

EXPLICIT LOGICA.